

1521 bellicis machinis undique septus minas intentat, ingentem impetum frementis belli in nos effusurus. Ad quod si alio unquam tempore repellendum nostræ opes dispares fuere, hoc certe superioribus exhaustæ cladibus, ne ad sustinendum quidem pares erunt; nisi a reliquis Principibus, quorum de re maxime agitur, periclitanti regno subveniatur, ne propugnaculum, ac veluti murum barbaris objectum, ingenti totius Reipublicæ Christianæ damno, hostes transgrediantur. Tot undique circumseptus angustiis Ludovicus quid faciat? quos imploret? nisi eosdemmet principes, ac illos præsertim, quorum salus in Hungariae defensione continetur? quorum res, illa labefactata, confistere nullo modo possunt? qui que mutuis secum necessitudinis, ac benevolentia officiis semper conjuncti fuerint? inter quos quis ignorat, præstantissimam hanc Rempublicam potiores partes semper tenuisse? quippe quæ exactis temporibus Pannonicæ Reges coluerit, atque ab iisdem summo honoris, atque existimatiois gradu habita sit. Inde illa fœdera fluxere, quibus adstricti saepius dextras vestras inimicorum sanguine aspersisti, opima spolia reportasti, teterrimis Christiani nominis hostibus obstitisti. Ii nunc, prob dolor, adeo insolentes, ac jactabundi efferuntur, ut quod nullo unquam tempore cogitarunt, modo sibi ultiro spondeant, ut postquam ferro, cæde, flammis omnia miscuerint, in caput, ac cervices nostras servitute, & armis desævierint, amplissimis, ac omni rerum copia affluentibus provinciis potiantur. His subactis facilem sibi aditum ad Italiam oppugnandum fore arbitrantur, quæ hoc præcipue regno nititur, ut si illud (quod Deus Optimus Maximus avertat) detrimenti aliquid patiatur, proculdubio ad hanc quoque præcellentem, ceterisque gentibus admirandam provinciam tabes illa, ac pestis pervisu-ru sit. Quid igitur vos potentissimæ Reipublicæ Proceres, qui amplum in Italia imperium possidetis; qui Dalmatiam, Epyrun, Peloponnesi, ac Macedoniae partem, Aegæi insulas; ad hæc Cretam, atque Cyprum nobilissima regna in potestate habetis, facere oportet? Majores vestri, nondum tantis incrementis Turcarum imperio aucto, cum bella ab Ottomanis ingruerent, Pannonicæ semper rebus opem tulere, illius salutem a vestra sejungi non posse statuere. Quid potissimum a vobis, Patres, hoc tempore agendum est, dum jactabundus potentissimus,

ac